Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

et dividite inter vos. Ob hoc gratias egit quia necesse erat vetera et ventura fierent omnia nova. Crisostomus. Memento igitur cum ad mensam sederis quod post mensam oportet te orare, atque ideo ventrem impleas sobrie ne gravatus nequeas genuflectere ac supplicare deo. Non igitur post escas non ad lectum sed ad orationem veniamus. Evidenter enim hic Christus significat quod post escas non somnus, non cubile, sed oratio et sacrarum lectio scripturarum succedere debeant. Luce. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum dei veniat. Beda. Potest quidem hoc et simpliciter accipi quod ab hac hora cene usque ad tempus resurrectionis quo in regno dei erat venturus vinum bibiturus non esset. Postea namque cibum potumque sumpsisse eum testatur Petrus dicens: Qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. Theophilus. Regnum dei resurrectionem dicit, quia mortem exterminavit. Unde et David ait: Dominus regnavit decorem indutus est, scilicet formosi amictus, per quem exuta corporis corruptela. Resurrectione autem adveniente iterum cum discipulis bibit, ut probaret quod resurrectio non erat fantastica. Beda. Sed multo consequentius est ut sicut superius typicum agni esum, sic et potum pasche neget se ultra gustaturum donec ostensa gloria regni dei fides mundi adveniat. Ut per duo maxima legis edicta, escam scilicet et potum paschalem, in spiritualem translata, discerent omnia legis sacramenta ad spiritualem observantiam fore transferenda. Beda.

Et accepto pane gratias egit et fregit et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cenavit dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur.

Finitis pasche veteris sollempnitatibus transit ad novum, quod in sue redemptionis memoriam ecclesiam frequentare desiderat, pro carne agni et sanguine sue carnis sanguinisque sacramentum in panis ac vini figura substituens, sacerdos in eternum factus secundum ordinem Melchisedech. Unde dicit: Et accepto pane gratias egit. Sic et de veteribus commendandis gratias egerat, nobis exemplum tribuens in omni boni operis inchoatione et perfectione deum esse glorificandum. Greg. Et fregit. Frangit ipse panem quem porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem, id est passionem, non sine sua sponte futuram. Beda. Et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Greg. Panis enim ante consecrationem communis panis est, sed ubi consecratio misterii fit, et dicitur corpus Christi. Cirillus. Nec dubites an hoc verum sit, eo manifeste dicente: Hoc est corpus meum; sed potius suscipe verba salvatoris in fide. Cum enim sit veritas, non mentitur. Insaniunt igitur dicentes misticam benedictionem a sanctificatione cessare, si que reliquie manserint eius in diem subsequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi, sed virtus benedictionis et vivificativa gratia iugis in eo est. Virtus enim vivificativa dei patris unigenitum verbum est, quod caro factum est non desinens esse verbum, sed efficiens carnem vivificativam. Si enim in aliquo liquore modicum panis immiseris, reperies hunc imbibitum qualitate illius. Igitur vivificativum dei verbum uniens se ipsum proprie carni fecit eam vivificativam. Numquid ergo et quam in nobis est vita dei verbo existente

misteri